

10) Pacem veram reddet dominus imperator regi Cicilie¹ et imperatori Constantinopolitano et universis adiutoribus ecclesie Romane et nullum malum meritum reddet per se vel suos pro² servitio collato³ ecclesie Romane.

11) De querelis autem et controversiis que ante tempora domini pape Adriani inter ecclesiam et imperatorem vel inter dominum imperatorem⁴ et regem Sicilie vertebatur⁵, mediatores domini pape et domini imperatoris constituentur quibus committentur, et eos⁶ iudicio vel concordia terminabunt. Interim autem, donec tractatus pacis durabit, hinc inde guerre et offense cessabunt. Si vero predicti mediatores non convenerint, arbitrio domini pape et domini imperatoris vel eius vel eorum quos ad id elegerint⁷, finientur. Interim autem similiter hinc inde offense cessabunt.

12) Cristiano⁸ autem dicto cancellario Moguntinus archiepiscopus, Philippo⁹ autem Coloniensis¹⁰ concedetur¹¹ archiepiscopus et confirmabuntur cum omni plenitudine archiepiscopalis dignitatis et officii. Et primus archiepiscopus qui in regno Teutonico vacabit, domino Conrado auctoritate domini pape et auxilio domini imperatoris assignabitur qui tamen congruus ei videatur. Interim autem per dominum papam et dominum imperatorem ei honorifice providebitur.

13) Ei autem qui dicitur Calixtus una abbatia dabitur. Illi autem qui dicebantur eius cardinales redibunt ad loca que ante scisma habuerunt, nisi ea sponte vel iudicio dimiserant, et in ordinibus quos¹² ante scisma perceperunt, relinquentur.

14) Gero autem nunc dictus Halberstamensis¹³ precise deponetur et Vlricus verus Halberstadensis¹⁴ restituetur. Alienationes a Gerone facte et beneficia¹⁵ data similiter et ab omnibus intrusis auctoritate domini pape et domini imperatoris cassabuntur et suis ecclesiis restituentur.

15) De electione Brandenburgensis episcopi qui ad Brementensem¹⁶ archiepiscopatum electus erat, cognoscetur et, si canonicum fuerit, ad eandem ecclesiam transferetur. Et quicumque a Baldewino qui nunc preest Bremensi¹⁷ ecclesie, alienata¹⁸ vel inbeneficiata sunt, sicut canonicum et iustum fuerit, eidem ecclesie¹⁹ restituentur²⁰.

1) Vor Cicilie ein wohl bedeutungsloses e. 2) Vorher p durchstrichen. 3) collato sofort über der Zeile nachgetragen. 4) vel inter dominum imperatorem über der Zeile nachgetragen. 5) A statt vertebantur. 6) A statt eas. 7) Corr. aus ursprünglichem elegerūt. 8) Crist A. 9) Ph A. 10) Coloñ A. 11) A statt concedentur. 12) quos sofort über der Zeile nachgetragen. 13) A. 14) Halberst A. 15) Das zweite verwischte e über der Zeile wiederholt. 16) Vorher pre durchstrichen. 17) Vorher Brems durchstrichen. 18) Das erste verwischte a über der Zeile wiederholt. 19) Das letzte verwischte e über der Zeile wiederholt. 20) Vorher res durchstrichen.